Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



106.

Hæc ergo sancta et venerabilis Virgo Tygria, obitum suum sibi e vicino imminere prænoscens, Deum deprecata est, ut Nativitatem S. Joannis Baptistæ, et Dedicationem ecclesiæ, quam ipsa inchoaverat, Regis vero jussu ad perfectionem ducta fuerat, mereat celebrare, et illud audire, quod Dominus de Joanne dixit: Multi in nativitate ejus gaudebunt. Laus Domino nostro Jesu Christo! Sicut rogavit, vita et Deus concessit. Die Nativitatis S. Joannis Baptistæ, post Missarum solennia, dedit dona pauperibus, orphanis et viduis, et disposuit bona sua domesticis familiæ. Postea tradidit ipsi ecclesiæ villam Volonia nomine, cum Presbyteratu et omnibus, quæ ibidem sub ejus regimine haberi videbantur. Et constituit Matriculam cum duodecim viduis, quæ omni tempore præsentis vitæ ex ipsius patrimonio sumptus necessarios acciperent. Sequenti die valedicens fratribus, et multis ab ea veniam petentibus, et ejus orationibus se commendantibus, ipsa refecta corpore et sanguine Christi, de hac temporali vita migravit ad patriam: ubi cum Angelis et omnibus Sanctis gaudet in sæcula sæculorum. Amen. Hæc ex Archivo Mauriacensi Papebrochius ad 25 Junii: cujus annotata quædam necessaria hic omittere non possum. Et in primis S. Tigriam mortuam fortasse sub S. Guntramno Burgundiæ Rege, translationem autem SS. Reliquiarum, et templi S. Joannis dedicationem factam esse sub Theodorico (qui primus ex Francico sanguine Burgundiæ Rex fuit) vel ejus successore Theodoberto; ex avo S. Rufi Taurinensis Episcopi, et S. Hyacinthi Viennensis, arguit. Deinde observat S. Tigriam etiam vocari Tigrem, vulgo Tegre et corrupte Teigla vel Tegle, et a Petro Comestore Theelam. Tum Taurinum, et Augustam Prætoriam (hodie Aosta) et Bellicum (Bellay) tantundem a Maurienna distare, ait; porro Porro Seusiam, vulgo Suze, 18 circiter leucis in orientem. Addit ex Tabulario Mauriacensi fragmenta sequentia: S. Tygris habitavit cum duodecim viduis et sorore sua Pegmenia sub una Matricula; et supra cavitatem rupis in atris cellam

/ qui ab anno DLXI ad 567 usque ad 593 regnavit;